DISSERTATIO INAUGURALIS

QUÆDAM

DE

HYDROCELE COMPLECTENS.

To Doctor Ogilvie

with best respects from

the Author

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

HYDROCELE;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HENRICUS HARRIS,

CHIRURGUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SODALIS.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JACOBUS BALLANTYNE.

1805.

VIRO NOBILISSIMO

HAYES ST LEGER,

VICECOMITI DE DONERAILE,

IN COMITATU DE CORKAGIA;

HOCCE TESTIMONIUM,

ANIMI,

PROPTER MULTA BENEFICIA IN EUM COLLATA,

OBSERVANTISSIMI,

D. D. C.QUE

HENRICUS HARRIS.

NECNON

GULIELMO TONSON,

DE RIVERSDALE, BARONO,

IN EODEM COMITATU,

MORUM ELEGANTIA ORNATISSIMO,

OMNIBUS QUIBUS

AMICITIA DIGNATUS EST

CARISSIMO;

HOC EXIGUUM OBSERVANTIÆ PIGNUS,

CONSECRAT,

AUCTOR.

DISSERTATIO CHIRURGICA

QUAEDAM

DE

HYDROCELE COMPLECTENS.

PROŒMIUM.

Cum ad varia animantium genera summo mundi Conditore creata animum advertimus, hominem dotibus animi, cæteris longe præstantissimum innumeris et gravissimis morbis plecti, qui omnem ætatem obsident, et eum ad varia vitæ munia obeunda impotentem reddunt, satis mirari non possumus.

Si enim verbis Professoris nostrii eximii uti liceat:

"Verum enimvero, homo, non modo certo, secundum leges naturæ, tempore nascitur, crescit, viget, senescit, moritur, sed variis quoque, prope innumeris, morbis obnoxius fit; qui formam quamvis pulchram corrumpant, vires frangant, singulas corporis actiones impediant, corpus sæpe gravibus doloribus excrucient, neque ipsi pepercerint." *Divinæ particulæ auræ**.

Si autem ad fontem unde hæc mala profluxerint respiciamus, naturam minime esse culpandam fateri cogimur; homo enim sibi ipsi inimicissimus, morbos proprios sæpe struit, et peccata sua gravissime luit. "Hinc morbi hereditarii, in seros nepotes transituri. Hoc modo sæpe delicta majorum immeriti luimus."

Etsi autem plerique morbi ex pravo vitæ genere originem ducunt, sæpe tamen ex alia causa proveniunt, nec ulla est vivendi ratio

---

* Gregorii, Conspect. Med. Theoret.

quæ homines ex morbis incolumes præstabit, cujus exemplum est malum de quo breviter disceptare statui.

Hic morbus plures varietates haud levis momenti complectitur, quæ medici non minus quam chirurgi summam attentionem jure exposcunt.

Naturam hujus morbi, et modum quo secerneretur ex aliis vitiis quibus hæ partes obnoxiæ sunt, scire plane medici est; in hoc igitur opusculo, omnia quæ ad DIAGNOSIN spectant, qua potui cura, perpendere consilium est.

CAPUT I.

DE MORBI DEFINITIONE.

Definitio quam protulit Cullenus, morbum concinné et luculenter depinxit.

"Tumor scroti non dolens, paulatim crescens, mollis, fluctuans, pellucidus."

Quoniam autem, pelluciditas raro adest, saltem in exemplis hujus mali, quæ mihi sese obtulerunt, defuit, et alii idem affirmant, verbum, *sæpe* ante *pellucidus*, adjicerem, et tunc hæc definitio (me saltem judice) nil haberet cui objici potest.

Cullenus Hydrocelem ad Classem Ca-

chexiarum relegavit; suspicarem autem speciem hujus morbi quæ sæpius in conspectum venit, omnino esse localem, et rarissime si unquam ex pravo corporis habitu oriri, vel cum eo conjungi.

CAPUT II.

HISTORIA MORBI, ET QUÆDAM DE NATURA EJUS.

Etsi omnis tumor aquosus cui corpus humanum patet, Hydrocele appellari queat, hoc autem nomen omnium consensu latici aquoso in tunica vaginali testis, vel in quadam scroti parte collecto solummodo inditum est.

Hic morbus omnes viros, ex prima ætate usque ad extremum senectutem, adoritur.

Varietas, in qua aqua in tunica vaginali testis colligitur, sæpissime sese ostendit; quæ igitur de morbi historia, et medendi ratione dicenda sunt, ad hanc speciem præsertim respiciunt.

Interna superficies tunicæ vaginalis, humore continuó madet ei simili qui in alias corporis

cavitates assidue effunditur, et qui teneram superficiem testium lubricam et madidam servit, si hoc fluidum majori copia secernitur quam vasa absorbentia resorbere valeant, vel, quod usitatius evenit, si hæc vasa solito debilius agunt, latex insolita quantitate necessario congeritur, et morbum de quo agitur, gignit; hinc in regionibus calidius ubi corpus magis debile et laxum est, Hydrocele sæpius apparet.

Morbus insidiose et lente plerumque obrepit, et ab initio nullo fere incommodo comitatur, ita ut in molem haud exiguam creberrime increverit, antequam æger auxilium ex medicina petit.

Hinc ex pressura fluidi effusi gradatim aucta, membranæ ex quibus saccus formatur multo crassiores fiunt, et etiam naturam fere cartilaginosam induunt. In multis autem exemplis non præter solitum incrassescunt.

In Hydrocele qui diu perstiterit, testes ampliores et solito flaccidiores fiunt, morbo autem

sublato, tumor decedit, et tunicæ pristinam vim recuperant.

His præfatis, signa, quibus morbus vulgo stipatur, nunc enarrare liceat.

In morbi initio plenitudo quædam in imâ scroti parte percipitur, tumor mollis, qui facile comprimi potest, primum observatur, et sensus fluctuationis adest; hicce tumor pedetentim mole augetur, et magis tensus evadit, dum vasa quæ circa superficiem ejus decurrunt ampliantur; pressuræ nunc minime cedit; rugæ quibus scrotum asperum fit quam in statu sano minus conspicuæ sunt, non autem omnino disparent.

Tumor primum potius rotundus est, sed pyriformis cito evadit, et ad fastigium superiùs vergit. In nonullis exemplis oblongus est, et eandem latitudinem in omni parte habet. In primo morbi stadio processus spermaticus per-

cipitur, non autem cum diutius duraverit, et tumor pro rata augetur.

Testis quoque ab morbi initio ad posteriorem tumoris partem apparet, in provectiore autem statu non detegi potest, saltem non facile, et non, nisi "Tactu erudito," exploratus.

In iis exemplis ubi fluidum in sacco contentum sanguine vel aliis non obfuscatur, et ubi ex statu morbi recenti, scrotum vel membranæ haud multum incrassescunt, tumor pellucidus apparet, si lucerna ei admoveatur; huic autem signo minime fidendum est; certe cum adest morbi naturam plane demonstrat; nequaquam tamen signum indivulsum est.

Hydrocele dolore non comitatur nisi cum vasa spermatica pondere ejus nimis tenduntur.

Hæc sunt signa notatu digniora quibus Hydrocele insignitur.

Quod ad causas morbi attinet, præter debilitatem supra memoratam, sæpissime ex tumoribus organicis oritur qui venas comprimunt vel regressum lymphæ per absorbentia prohibent.

CAPUT III.

DE DIAGNOSI.

MORBI qui Hydrocelen maxime referunt, et qui igitur cum eo confundi periclitantur, sunt,

1mo. HERNIA.

2do. SARCOCELE.

3tio. TUMOR ANASARCUS SCROTI.

4to. SARCOCELE INFLAMMATORIA, (aut HERNIA HUMORALIS, ut vulgo inepte vocatur.)

Et, 5to. Malum quod Anglice PULPY TESTICLE dicitur.

Discrimen inter hos morbos accurate statuere summi est momenti, si enim in Diagnosi stabilienda ullus error subsit, effectus pessi-

mi exinde oriri possunt, nec raro mors ipsa. Hæc igitur ordine perpendenda veniunt.

HERNIA.

Ex HERNIA dijudicatur, quippe in morbo de quo agimus, tumor in inferiori scroti parte primum comparet et gradatim ascendit, et processus spermaticus tumoris expers plane percipitur, testis quoque ad posteriorem partem observatur, et nulla fluctuatio adest, neque tussis, neque sternutatio, nec nisus quivis musculorum abdominis tumorem adauget, et pressura facta non evanescit, nisi in raris forsan exemplis ubi tunica vaginalis non occlusa est; cum res ita se habet, humorem effusum pressura admota vel positura supina corporis, semet subducere posse manifestum erit.

In Hernia testes partem tumoris inferiorem semper occupant, et tumor ad annulum abdominis primum comparens deorsum tendit, et processus spermaticus non sentiri potest.

Tumor quoque, tussi, sternutamento, vel conatu quovis corporis graviori augetur, et sæpe recedit, in Hernia præterea alvi status sæpe turbatur.

SARCOCELE.

Sarcocele vel testis schirrosa, quæ Hydrocelen nonnunquam simulat, dura et inæqualis est, et doloribus acrioribus comitatur, qui per tumorem lancinant, quod nunquam in Hydrocele evenit; Schirrus quoque quam Hydrocele pro rata magnitudine majorem ponderis sensum edit.

TUMOR ANASARCUS.

Diagnosis inter hunc morbum et tumorem scroti Anasarcum tantum ex specie evidente pendet, et hoc tam sæpe cum habitu corporis

hydropico conjungitur, ut facile plerumque secerni queant.

Est signum tumori scroti proprium, quo semper insigniri potest, ad posteriorem scilicet partem ubi testis posita est, tumor æque mollis ac evidens est quam in ulla alia parte, et hinc testis nunquam detegi potest.

SARCOCELE INFLAMMATORIA.

Sarcocele Inflammatione stipata plerumque ex gonorrhœa retropulsa vel ab injuriis externis originem ducit, multum dolet et nunquam fluctuat.

PULPY TESTICLE.

Morbus qui testis pulposa dicitur ut certior factus sum, haud raro pro Hydrocele assumptus est, et sub hac sententia testis instrumento pertusa est, nullo autem cum malo eventu.

Diagnosis maxime pendere videtur ex peculiari sensu quem tumor tactu exploratus edit, ex fluctuationis defectu et ex opacitate tumoris in omni morbi stadio. Nec historia morbi progressa negligenda est, scire enim proderit, an tumor ab morbi initio totam testem occupaverit vel ad partem ejus inferiorem primum sese ostenderit, et sensum quasi aquæ collectæ edit, in priori exemplo testem pulposam, adesse, in posteriori, Hydrocelem suspicarem. Ad alia autem Hydroceles signa respicere debemus.

Omnibus nunc dictis quæ ad Diagnosin pertinent, et signis quæ morbi ortum et progressum vulgo comitantur traditis, ad Prognosin et medendi rationem nunc progredi liceat.

CAPUT IV.

DE PROGNOSI.

Hæc paucis absolvi potest, morbus enim mortem nunquam infert, et etiam in gravioribus exemplis ex incommodo quod creat potissimum molestus est; fere semper removeri potest, modo idonea medendi ratio perite instituta fuerit.

An, aliquid mali testi inferatur ex diuturna immersione in aqua pro certo statuere non possum, in paucis exemplis quæ mihi olim, (adhuc in rebus chirurgicis parum versato), demandata fuere, et quæ incisione simplici tractavi, testem mollem et justo ampliorem reperi; etsi æger de tali statu non conqueritur, sanam partis actionem raro omnino recuperari suspicarem, et periculum est ne divitem (apud

hos enim sæpius sese ostendit) hærede defraudet.

Munia autem testium omnino deleri dicere non vellem, valeant adhuc aliquantulum, sed non ut mihi videtur ad sobolem robustam procreandam.

CAPUT V.

DE METHODO MORBUM MEDENDI.

Etsi hic morbus parum dolet, et raro periculo comitatur, sæpe autem ex magnitudine tumoris et situ admodum molestus est, et sæpe gratis Deæ ridentis muneribus haud parum obstat; in eo igitur tuto et prompte sanando medicos multum laboris colocasse haud mirum erit.

Hoc consilio varia admodum proposita fuere, et sane re chirurgica peritissimi in sententias diversas abierunt; idem autem omnibus propositum est, nempe ut certum inflammationis gradum in sacco qui aquam continet, inducerent, quo latera ejus adhærescant.

Incisio, Setacea, et Caustica, chirurgis dignioribus usurpata fuere. Hæc omnia autem remedio alio cessisse videntur, quod, si vel ad modum facilem et tutum quo perficiatur, sive ad effectus quos edit, respiciamus, cæteris longe præstat. Injiciendi methodum dicere vellem a celeberrimo Professore MONRO (ALEX. primo) primum propositam, et nuper eximio viro JACOBO EARLE usui strenue commendatam, et nunc per totam Europam usurpatam.

Huic enim medendi rationi nulla suppuratio supervenire solet, nullum fere dolorem ægrotanti movet, nisi ex inflammatione plerumque levi, quæ operatione peracta evenire consuevit, et quæ nil fere incommodi in se habet, sed potius ad morbum sanandum plurimum confert, et effectus ejus certos esse et stabiles plurima exempla satis superque testantur.

Huic autem sententiæ Dom. POTT, cujus auctoritas tantum valet, adversatur, ut patet ex operibus ejus, in quibus cum de variis mo-

dis quibus hic morbus mederi solet, disserit, his verbis utitur. "Some of these, happily for mankind, have been now laid aside, the reasons for their use being found to be false and groundless; of this kind are, the cautery, injections," &c. *

Auctoritas tam gravis in hanc opinionem allata juniores et arte minus exercitatos ex tali medendi ratione fere deterreret; patet autem ex egregio opere Dom. EARLE, dominum POTT, hac sententia abjecta, hunc operandi methodum postea comprobavisse.

Multa sunt argumenta quæ injectionem ceteris longe esse anteponendam fortiter suadent. Operatio dolore fere omnino caret, et stimulus qui inflammationem ciet prout valido vel debili opus fuerit facile ad statum ægri accommodari queat, et per internam superficiem sacci magis æqualiter admoveri potest, quam si stimulus diversi generis usurpatur; neque

* Vide POTT's Works.

testis objicitur frictioni quæ ex setaceis oritur, nec minus ex linteis si ad incisionem decurritur, et curatio multo citius absolvitur quam si alia insistitur via.

Vinum rubrum et aqua æquali ratione commixta vulgo injiciuntur; quantitas autem vini prout res postulaverit varianda est.

Si nil vetat, ad curationem imperfectam, *(Palliative)*, semel saltem prius confugitur quam ad morbum radicitus tollendum aggredimur.

Post hoc semel factum fuerit, si tumor aquosus iterum redit, ad posteriorem medendi methodum progredi liceat. Operationem chirurgicam non hic nisi obiter attingere, necesse est, quæ sane levi negotio perficitur; enim parte anteriore et inferiore tumoris instrumento, *Trocar* dicto pertusa, aqua fistulâ educenda est; hoc peracto, fluidum sacco vi resiliendi prædito injiciendum est, et per quinque minuta horæ vel paulo diutius retinendum, et dein effluere permittendum est.

Æger in lecto detinetur, et inflammatio brevi supervenit tanto tumore nonnunquam comitata, ut morbi redeuntis timorem incutiat, et etiam sensus cujusvis fluctuantis interdum observatur; hæc autem omnia brevi decedunt, et æger, ex morbo omnino liberatus, pristinam vigorem et salutem recuperat. Ex supra dictis perspicuum est hanc medendi rationem. Incisioni paucis abhinc annis passim usurpatæ longe præcellere; in hac enim scrotum scalpello curantis omnino divisum est, et testis tenera admodum et delicata ex linteis adhibitis haud parum detrimenti sæpe capit. Monendum est quoque has partes sensu acriori præditas non sine gravi dolore ferro incidere possumus, et certe chirurgi humanioris est ad hoc multum advertere, ut non sine causa ægrotantis mala augere videatur.

Quod ad remedia interna, vel ad ea quæ partibus externis admoventur, attinet, attentione vix digna sunt, in morbo enim tollendo parum his proficitur. Stimulantia quædam sub for-

ma cataplasmatis adhibita fuere, quantum autem scio, nullo cum beneficio; nec ad usum hydrargyri decurritur feliciore cum eventu. Quoniam autem morbus non ita gravis est ut auxilium promptissime efflagitat, quid hæc remedia valeant experiri operæ pretium est. Electricitas quoque scintillis ex tumore elicitis usurpari potest.

Dom. HUME, Dubliniensis, in capite trigesimo secundo operis cui titulus est, "Observations on the origin and treatment of Internal and External Diseases, and management of Children," se (aqua prius educta) fasciis idoneis pressuram feliciter adhibuisse affirmat, penicillis alcohole imbutis eodem tempore admotis.

Ad hoc tentandum adductus est exemplo famuli qui, ut vitaret offensionem matronæ ex tumore qui inhoneste prominebat, post aqua fistula educta fuit, braccas coriaceas femoribus arcte adhærentes induebat, et hoc modo morbum profligavit.

Utrum pressura in aliis exemplis æque valeat necne, neque propria neque aliorum experientia didici, cum autem medicus fide dignus eam usui commendavit, effectus ejus usu certius comperiri decet.

TANTUM.